



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Origines Benedictinae, Siue Illvstrivm Coenobiorvm Ord.  
S. Benedicti, Nigrorvm Monachorvm, Per Italiam,  
Hispaniam, Galliam, Germaniam, Poloniam, Belgium,  
Britanniam, aliasque Prouincias. Exordia Ac ...**

**Le Mire, Aubert**

**Coloniae Agrippinae, 1614**

Weichenstephense monasterium, in d. Frisingensi.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11261**

instituta, S. Vlrico angustum templum dedicatum est, quod prius S. Afræ exiguum tantum fuerat sacellum, idque factum legitur anno Christi 1012.

1012.

*Veichenstephense monasterium, in d. Frisingensi.*

POSITUM est hoc monasterium in excelso monte prope Frisingam, vbi olim fuisse dicitur castrum Pipini, Galliarum & Alemanniæ Regis, in quo postea etiam Carolomannus habitavit. Mons ille dictus est *Fetmons* siue *Thetonis mons*, cuius amplissimæ fossæ arcis magnificentiam adhuc hodie satis ostendunt: Hoc castrum postea anno 746. à *Marsilio* Sueuorum Rege euersum esse, historia monasterij tradit; sed *Auentinus* lib. 3. meminit *Landfridi* & *Diepoldi* Ducum Sueuiæ, qui cum *Vtilone* circa *Lycum* multa bella gesserint; sed de *Marsilio* Rege & de vastatione castri *Testmons*, nihil.

746.

In hoc loco *Hitto* Episcopus Frisingensis constituit Præpositum cum sex Canonicis circa annum Domini 830. Post annos verò 200. imperante S. *Henrico* secundo, *Egilbertus* Episcopus Frisingensis, ex familia Comitum *Mospurgensium*, eundem Præpositum cum suis Canonicis transtulit in vmbilicum montis ad monasterium S. *Viti*, quod ipse fundavit, & loco ipsorum instituit ordinem D. Benedicti, & monasterium S. Stephani

830.

R

proto-

1021.

protomartyris construxit, circa annum 1021 constituto ibi primo Abbate *Arnolpho*. Episcopus *Hitto* sepultus est in Ecclesia cathedrali in crypta, transtulitque *Frisingam* corpora *Alexandri* Papæ & Martyris, *Iustini* Cardinalis, & *Nonnosij* monachi, de quo scribit *B. Gregorius* in *Dialogis*. Imperator *Henricus* sanctus donauit monasterio *Vveichenstephensi*, ad preces *Egilberti* Episcopi castrum *Saxaganck* in *Austria*, cum suis attinentijs: pro quo *Engelbertus* per commutationem monasterio dedit villam *Hegelhausen*. In diplomate *Henrici* Imperatoris sunt hæc verba: *partem cuiusdam insule Sabsonaganc, &c. in prouincia Orientali & in Marchia Adelberti Comitis sita, anno Domini 1021. sic fore Hun- dius.*

## CAPVT LX.

*Tinecense & Lubensense monasteria in Polonia.*

**I**llustria hæc Polonia monasteria, originem suam debent *Casimiro* eius nominis primo Regi Polonia, qui olim in *Cluniaco* monachus fuerat, non modò religionem professus, sed etiam ordine diaconus. Atque hunc quidem Poloni, professionis & Sacramenti religione à Pontifice Romano solutum, ad

vacans